

C. PLINII CAECILII SECVNDI PANEGYRICVS

XCIV

Ad postremum senatores alloquitur, quibus obsequium et reverentiam pollicetur.

- 1 Vobis, patres conscripti, quantum debeam, publicis etiam monumentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in praetura modestiae, vos in istis etiam officiis, quae studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cum fidei tum constantiae antiquissimum
- 2 testimonium perhibuistis. Vos proximae destinacionem consulatus mei his acclamacionibus approbavistis, ut intellegam etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc consensum vestrum complectar, et teneam, et in dies augeam. Etenim meminī tunc verissimē
- 3 iudicari, meruerit quis honorem necne, cum adeptus est. Vos modo favete huic proposito, et credite : si cursu quodam provector ab illo insidiosissimo principe, ante quam
- 4 profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti ; cum vidērem, quae ad honores compendia patērent, longius iter maluī ; si malis temporibus inter maestos et paventes, bonis inter securis gaudentesque numeror ; si denique in tantum diligo
- 5 optimum principem, in quantum invisus pessimō fui. Ego reverentiae vestrae sic semper inserviam, non ut me consulem et mox consularem, sed ut candidatum consulatus putem.